



Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinae, Sacr. Theologiae, Ac I. V. D. Vticensis
Episcopi, Tractatus De Legitima Svmmi Pontificis
electione, iuxta Summorum Pontificum, praesertim
Gregorij XV. & Sanctiss. D. N. Vrbani ...**

Bonacina, Martino

Lvgdvni, 1637

Qvæstio VI. De excommunicatione contra Cardinales simoniam
committentes in electione Papæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10669



Q V Æ S T I O VI.

*De excommunicatione contra Cardinales simoniam committentes
in electione Papæ.*

S V M M A R I V M.

- 1 *Simoniam committens in electione Papæ, excommunicationem incurrit.*
- 2 *Assignatur materia istius excommunicationis.*
- 3 *Enumerantur ea propter quæ incurritur excommunicatio, faciendo contra contenta in hac Bulla.*
- 4 *Excommunicatio lata ob simoniam contractam causa electionis Papæ non incurritur, quóniam tempore præfata simonia committatur, sed si committatur Sede vacante.*
- 5 *Assignatur subiectum istius excommunicationis.*
- 6 *Absolutio istius excommunicationis reservata est.*

R 3

E X P L I



XPLICA BO primo loco , an ista excommunicatio extet , secundo quænam sit eius materia , tertio , quódnam sit subiectum , quarto , vtrum eius absolutio reseruata sit .

PRIMA PROPOSITIO.

I Committens simoniam Sede vacante in electione Papæ excommunicacionem , & alias pœnas incurrit , nam Iulij II. in Bulla quæ incipit , *cum tam diuino* , non solum prohibet electionem Papæ simoniacè fieri ; verum etiam electionem simoniacè factam absolutè , & omnino irritat , grauésque pœnas tam sic electo , quam diligentibus imponit , ac denique statuentes , disponentes , vel facientes , seu attentantes aliquid Sede vacante contra illam constitutionem , seu contrauenientes , excommunicationi subiicit , nonnulli tamen Doctores , quos retuli *disp. i. quæst. 2. §. unico* , putant hanc Bullam vsu receptam non esse , sed hoc ego ibidem reprobaui , vide quæ ibi tradidi , vbi de simoniaca electione prolixius egi .

SECUNDA PROPOSITIO.

2 Materia istius excommunicationis sunt sacrilegæ actiones in præfata Iulij II. Bulla prohibitæ , quarum prima est , contra

contrauenire iis , quæ in illa Bulla consti-
tuuntur ; secunda est statuere , disponere ,
ordinare , facere , vel attentare aliquid Sede
vacante contra ea , quæ in dicta Bulla con-
tinentur ; in Bulla enim dicitur , *Inhibentes*,
ne Apostolica Sede vacante predictis contraue-
nire , vel contra præmissa , vel aliquid præmis-
sorum statuere , disponere , & ordinare , vel ali-
quo modo facere , seu attentare præsumant , quo-
cunque exquisito colore , vel causa sub excommu-
nicationis latæ sententiae pœna , quam ipso fa-
cto incurvant , & à qua non nisi per Romanum
Pontificem canonice electum absolui possint , nisi in
mortis articulo.

3 Sed modò dubium est , quænam in di-
cta Bulla contineantur. Respondeo primò ,
primum , & præcipuum esse , cauere ne elec-
tio Papæ fiat cum hæresi simoniaca , dan-
do aliquid , promittendo , vel recipiendo ,
per se , vel per alium , alioquin Cardina-
les huius criminis rei , excommunicatione
ligantur ; excommunicatio enim lata est
contra Cardinales , qui prædictis contraue-
nire præsumunt , dando , promittendo , vel
accipiendo pecunias , bona cuiuscunque ge-
neris , castra , officia , vel beneficia , seu pro-
missiones , & obligationes per se , vel per alium ,
seu alios causa electionis .

264 *De Electione legitima*

Crimen simoniæ vocatur Hæresis , quia, qui huiusmodi crimen committit , spiritualia pretio æstimat , vel æstimare præsumitur.

Secundum est , vt non solum huiusmodi electio irrita sit , nec conualidetur per intro-nizationem , cursum temporis , adorationem, aut obedientiam Cardinalium ; verum etiam sic electus sit ipso facto , absque alia declara-tione priuatus Cardinalatu , dignitatibus, be-neficiis, & pensionibus , sit Apostaticus , & tanquam simoniacus , & Hæresiarcha , ad prædicta omnia , & singula inhabilis habe-a-tur ; eandem priuationem Cardinalatus , di-gnitatum , & beneficiorum incurruunt Car-dinales simoniacè eligentes , nisi coniunxe-rint se aliis Cardinalibus infrà terminum octo dierum postquam fuerint ab eis requisiiti.

Tertium est , licere , Cardinalibus omnibus Clero , Populo Romano , & omnibus officia-libus impunè recedere ab obedientia Papæ simoniacè electi.

Quartum est , Cardinales posse brachium seculare implorare , si electus per simoniam in-gesserit se regimini vniuersalis Ecclesiæ.

Quintum est , vt omnes mediatores hu-iusmodi electionis simoniacæ , sint ipso facto priuati honoribus , beneficiis , ac bonis , ad similia inhabiles , tam actiue , quam passiuè , intesta

intestabiles , & eorum bona fisco , instar reorum criminis læsæ Maiestatis , ipso facto applicentur.

Sextum est , vt omnes obligationes simoniæ in electione Papæ irritæ sint.

Septimum , vt Cardinales non complices electionis simoniæ possint alium eligere , adhibitis etiam aliis Cardinalibus complicibus simoniæ qui se cum ipsis coniungere voluerint.

Ex dictis facile colligitur Cardinales affici excommunicatione , non solum si labem simoniæ committere præsumant in electione Papæ ; verùm etiam si præsumant decernere electionem Papæ simoniacam , non fuisse inualidam , aut licitum non esse redere à sic electo , aut si præsumant facere aliquid contra præmissa.

4 Rogabis , vtrum ista excommunicatio incurritur , quóuis tempore præfatæ actiones fiant. Respondeo incurri solum si fiant Sede vacante , sic enim decernitur in præfata Iulij II. Bulla , ibi , *inhibentes omnibus , & singulis S. R. E. Cardinalibus ne Apostolica Sede vacante prædictis contrauenire , vel contra præmissa statuere , &c.* An autem incurritur excommunicatio lata à Paulo IV. patet ex supradictis quest. 2. num. 3. & seqq.

R 5 TER

TERTIA PROPOSITIO.

5 **S**vbiectum istius excommunicationis sunt Cardinales qui aliquam ex præfatis actionibus faciunt Sede vacante; in Bulla enim dicitur; *Inhibentes postremò omnibus, & singulis S. R. E. Cardinalibus, qui pro tempore erunt, & eorum sacro Collegio, ne Apostolica Sede vacante, &c. vide quæ suprà tradidi disp. I. quæst. 2. §. unico, vbi de simoniaca electione prolixè differui.*

QVARTA PROPOSITIO.

6 **A**bsolutio istius excommunicationis summo Pontifici reseruata est, nam in Bulla Iulij II. dicitur, *A qua non nisi per Romanum Pontificem canonice electum absolui possint, nisi in mortis articulo.*

QVÆ